



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Quibus exhibentur quaedam
Observationes circa aliquot Propositiones De Luxuria &
Abortu Inter LXV. A SS. Domino Nostro Innocentio XI.
Condemnatas**

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1684?]

Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40549

P R Æ F A T I O.

Post horrendas Propositiones de Homicidio quas in postremis Theſibus noſtris expendimus ſequuntur duæ in Decreto SS. D. N. quæ procuratos Abortus faciunt licitos, qui cum ad Homicidium indubiè pertineant, in præfatis Theſibus de illis agendum fuiſſe fortæſis videbitur; ſed quia malitiam propriam & ſpecialem habent, ſeorſim tractandos eſſe cenſuimus. Sanè quia materia ſalebrosa & obſcena eſt, atque idèd multis non immeritò minus grata, propenſiores fuiſſemus ad omittendam, niſi neceſſitas & utilitas multorum aliud ſuaſiſſet. Ut autem de Propositionibus ad Luxuriam pertinentibus in eodem Decreto damnatis neceſſe non ſit ſapius agere, viſum eſt nonnihil recedere ab ordine quo ibidem deſcripta ſunt, & cum 34. & 35. quæ ſunt de Abortu, examinare 48. 49. & 50. Et quidem incipiendum iudicavimus, à 48. de Mollitie, quia ſana doctrina de hoc peccato viam ſternit ad ea quæ de aliis dicenda ſunt.

C O N C L U S I O P R I M A. D E M O L L I T I E.

§. 1.

*Qui Mollitiem negant jure natura eſſe prohibitam, facilè idem negabunt de aliis
pejoribus ac infandis in iſto genere flagitiis.*

Propoſitio 48. inter condemnatas ſic habet: Mollities jure natura prohibita non eſt, unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali. Authores famoſi Speciminis pro hac propoſitione allegant Caramuelem, virum illum quem quidam laxitatum patroni ſummis laudibus extollunt, dum illum vocant *Virum doctiſſimum & acutiſſimi ingenii*, non ſolum ſcholæſtica & moraliſ Theologia, ut loquitur Diana, ſed etiam poliſtoris litteraturæ peritiſſimum. Verba Caramuelis in Theologia morali n. 1603. ſunt: *Si Deus Mollitiem non interdixiſſet, numquam eſſet mala, ſæpè eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali.* Ita ille, qui cum ibidem num. 1607. dicat infandas Sodomæ & peiores ſpurcitiâs eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ cujus eſt Mollities (quam ſententiam reputat tam claram, ut contraria videatur error in Philoſophia) procul dubio cenſet de his criminibus contrâ naturam quod de Mollitie, nimirum quod talia libidinum monſtra, ſi Deus non interdixiſſet, non eſſent mala, quod ſæpè eſſent bona & aliquando obligatoria ſub mortali. Poterat proinde iſte ita laudatus Caramuel de Sodomæ aliſque nefandis contrâ naturam ſceleribus dicere, quemadmodum num. 1605. de Mollitie: *Eſum pomi aliâs indifferantem*, inquit, *primis hominibus interdixit Deus, quia voluit & potuit, utpote rerum univerſarum Creator & Dominus. Seminis etiam effuſionem inhibet, non quod ipſa ſit mala ante præceptum, ſed quod ipſe ſit Dominus, nos ſervi; ipſe Creator, nos Creatura; ipſi competat præcipiendi authoritas, nobis obediendi gloria relicta ſit.* Ex quibus conſectarium eſt quod juxta Caramuelem Sodoma non peccaverit, quandoquidem lex poſitiva quæ peccata contrâ naturam prohibuit Iſraëlitis, tum necdum eſſet lata. Eâdem ratione libidines iſtas exercuerint Chananæi ſine peccato; imo & univerſæ Nationes Gentium quæ olim extiterunt poſt latam Legem in Monte Sinai: eſt enim Deus *annuntiaverit verbum ſuum Iacob, juſtitiâs & judicia ſua Iſraël*; attamen *non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Adverſus ſpurciſſimam illam Caramuelis cum ſuis conſectariis doctrinam cum Auguſtino dicimus: *Flagitia quæ ſunt contra naturam ubique ac ſemper deteſtanda atque punienda eſſe, qualia Sodomitarum fuerunt: quæ ſi omnes Gentes facerent, eodem criminis reatu divinâ lege tenerentur; quæ non ſic fecit homines ut ſe illo uterentur modo; violatur quippe ipſa ſocietas quæ cum Deo nobis eſſe debet, quum eadem natura cujus ille author eſt, libidinis perverſitate polluitur.* Lib. 1. Conf. cap. 8. §. 2. 200